

A. 101, 4.

X 200 5183

V

DEO JUSTITIÆ EUTAXIÆ QVE
SACRUM!

Y b
594

**LEGES GYMNASII
FREIBERGENSIS DENUO REVISÆ
auctæ, præsentî rerum statui accommo-
data, atqve**

INSPECTORIBUS

*Viris perquam Reverendo Excellentissimo Clarissi-
mis Amplissimis Prudentissimisq;*

Dnis Paulo Sperlingio S.S. Theol. D. Ephoro.

- M. Georgio Platnero x
- Wolffgango Graunio
- Samuele Kilmanno
- Sigismundo Hornio
- Heinrico Romano x
- Johanne Drabito x

} Senatoribus.



PRÆCEPTORIBUS.

- Ottone Benevvitio Rectore.
- M. Nicolao Grefio ConR.
- M. Christiano Funcchio Tert.
- Christophoro Frölichio Cant.
- Christiano Peschelio x } Baccal.
- Georgio Trenero x }



P. P.

Mense Novembri Anno clo 1807.

Typis Beutherianis.

36

16.9

17



INSPECTORES ET PRÆCEPTORES

Gymnasis Freibergensis

Discipulis & Lectoribus

Salutem!

A Pud Xenophontem Cyrus interrogat avum suum, qualem se fieri virum oportere dicat? Huic respondens Avus, inquit, οἷον ἂν ᾧ παῖδι δικαιοτάτῃ καὶ ἐνομιώτατῃ ἀνὴρ εἴη: Quâ voce hortatur Cyrum, ut se legibus & institutis vivendi optimis teneri patiatur, ac integerrimè vitam transigat, nec adversus Superiores & ordinarium Magistratum, qui Legum minister est, se contumaciter & minaciter gerat, vel adversus ordinationem divinam temere quicquam tentet vel audeat. Et quidem non immeritò; Νόμος n. ut Plato loquitur, verè est τῶν ἀνθρώπων κύριος βασιλεὺς, cum propterea secundum Isidorum leges factæ sint, ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaq; sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas. Et ut paucis multa complectamur, nec Magistratus suum sequitur arbitrium, illiq; quod libet, licet; sed secundum præscripta Legum & Statutorum jus dicit: viva n. Lex est. Hinc & nobis necessarium maximopere visum fuit, subsequenti Statuta, seu Leges, ut vocant, Scholasticas conscribere, quas sequi in gubernatione hujus Reipubl. literaria jubeamus, & quibus parere vos officii ratio & ipsa pietas adhortatur.

Sequun-



Sequuntur itaque bono cum DEO

ipsi Legum Aphorismi.

CAPUT I.

De Discipulorum erga DEUM, Parentes & Præceptores pietate ac observantiâ.

- I. Discipulorum cura sit prima pietatis, veritatis & Religionis; altera morum elegantie; tertia doctrine eruditæ.
- II. Nomine divine Majestatis ne abutuntor: blasphemias fugiunto: execrationibus & diris abstinento.
- III. Numen Sacrosanctam crebrò invocanto: Parentum, Præceptorum, Ecclesie, Magistratûs suamq; ipsorum salutem, incolumitatem ac studia DEO commendanto.
- IV. Catechesin & Christiane doctrine primordia, historias sacrarum literarum, & regû Prophe-
tæ Psalmos discunto, & vita ac factis exprimere assuescunto.
- V. Animadversiones & castigationes Præceptorum animo æquo subeunto.
- VI. Refractarii ac responsatores ne suntor.
- VII. Præceptoribus inscientibus e lectionibus & auditorio ne absuntor.
- VIII. Grati animi memoriam Præceptoribus non verbotenus, verum ipso etiam benè merendi studio exhibento.

A 2

IX. Præ-

IX. *Præceptores, ceu animorum parentes, amore, ob-
servantia ac honore debito prosequuntor: Eos
non despiciunt, non derident, non dedecoris
insimulant, non maledictis petunt.*

X. *Dormitum se conferentes, ac cubitu surgentes,
precibus ardentibus DEUM invocant ac col-
laudant.*

CAP. II.

De decoro in Templo observando.

I. *In templo singuli in loco sibi assignato manent, non
latebras petunt, & conciones calamo exci-
piunt.*

II. *Dum conciones a Ministro Ecclesie habentur, ne
legunt, ne sermocinantor, nec aliud quippiam
agunt.*

III. *Attentione ac reverentia debita verbum divi-
num audiunt, ac ipsum Numen loqui cre-
dunt.*

IV. *Primanis & Secundanis, ut conciones excipiant,
jus potestasq; esto commodiorem in templo lo-
cum, eumq; a Choro musico proximum occupa-
re, ceteri in choro manent.*

V. *Sacrosancta cæna crebrò & quidem semetipsos
(ut Apostolus ait) probantes utuntor: præci-
pue verò tempora Præceptoribus & discipulis
præ cæteris usitata observant.*

VI. Templo

VI. Templo non nisi concione & precibus omnibus finitis taciti exeunto.

CAP. III.

De moribus in Ludo tenendis.

- I. Domi priusquam in ludam eant, lectiones discunt.
- II. Mature & constituto tempore in auditoriis ad lectiones adsunt.
- III. Absq; Præceptoris legentis concessu a lectione non absunt.
- IV. Lectiones suas precibus aut hymno aliquo DEUM collaudantes auspiciant.
- V. Ordine & loco sibi assignato sedent.
- VI. De loco inter sese ne depugnant, nec sese mutuo comprimunt.
- VII. Recitantes aut exponentes clarè, distinctè & sine præcipatione pronunciant.
- VIII. In libros, cum quid recitandum est, non inspicunt.
- IX. Recitantibus ne insusurrant.
- X. Res nugatorias aut alienas ne scriptitant.
- XI. Animis ne absunt, sed adsunt.
- XII. Non garriunt, non pingunt, non rident, non nugantur.
- XIII. Ab armis scholasticis, hoc est, graphiario, calamo & charta, in lectionibus instructi semper sunt, & quæ scribenda sunt, excipiunt.

A 3

XIV. Sta

- XIV. *Stato die Carmina & Scripta diligenter composita offerunt.*
- XV. *Exituri ludo DEUM hymno aliquo aut precibus celebrant.*
- XVI. *Absq; mutuâ compressione, lectione finitâ, tacitè exeunt.*
- XVII. *In plateis ludo exeuntes, non clamitant, non lapides, non aliud quid jaciunt; non indecorè cursitant, sed tacitè, sed modestè ambulant, ac non alicubi aut consistunt aut se proripiunt, sed domum ac in hospitium rectâ se conferunt.*
- XVIII. *Domuitiones non frequentant; reditiones dictas præstant.*

CAP. IV.

De Variis.

- I. *Mores suos ad divinorum oraculorum præscriptum componunt.*
- II. *Pietatem, modestiam, ac verecundiam ubiq; præferunt.*
- III. *Theologos, Magistratus, Præceptores, senes & honestos viros obvios debito honore venerant.*
- IV. *Ad cauponas, ad lustra ebriorum, ad choreas nec die nec noctu accedunt.*
- V. *Nugatorios libros non habent.*
- VI. *Cantilenas fœdas, picturas obscenas nec emunt, nec legunt.*

VII. Sa-

VII. Satyrographi ne sunt; famosos libellos ne scribunt.

VIII. Parietinari pictores ne sunt.

IX. Genus lusionis turpis & inhonestæ, tesseriis nimirum aut chartis lusoriis, ne exercent.

X. Noctivagi cantillatores & grassatores ne sunt.

XI. Gabino cinctu ne incedunt, capronas ne gerunt, tibialia ac vestem non alterius sed nigri coloris gerunt.

XII. Verbales atq; adeo omnis generis injurias vitant.

XIII. Locos infames fugiunt.

XIV. Conspiraciones ne ineunt & conventicula clancularia ne habent.

XV. Sicas & gladios nullibi in urbe gerunt.

XVI. Preceptoribus manus ne admovent.

CAP. V.

De munere Pædagogorum.

I. Pædagogi, sive ii, qui pueros in ludum ducunt, ac reducunt, non secus ac ceteri, qui isto munere non funguntur, in officio suo sunt.

II. Non elapsa vel integra vel semihora, sed maturè & constituto tempore, discipulos secum in scholam ducunt.

III. Domi sedulo cum discipulis lectiones repetunt, & ad ea, quæ in ludo tenenda sunt, præparant.

IV. Exem-

IV. Exemplo pueris ad pietatem, honestatem, virtutem castitate ac vita moderatione sunt.

V. Ludo exeuntes, pueri ut & ante aedes scholasticas & in platea modesti & taciti sint, operam danto.

VI. Ad domi manendum sub pretextu herilis imperii aut aliarum quarumcung, causarum, sibiipsis negotiola ne concinnanto.

VII. Nec herum nec famulitium ejus dictis factisve ledunto, iisq, nullam molestiam exhibento.

VIII. Hospitium suum nulli deserunto, nec Dominum sine hospitem, Rectore inscio, mutanto, nec hospite priore insalutato, nec Rectore insciente, uspiam discedunto aut proficiscuntor.

CAP. VI.

De officio Symphoniacorum sive Concentorum.

I. In choris modulantes Concentores (ut vocant) pias, graves, selectas cantiones ut canant, operam navanto.

II. Praefecti & Adjuncti Choris modesti & ipsi sunt, & sub ordine suo constitutos ad modestiam identidem adhortantor.

III. Chorum quisq, suum quam optime constitutum ut habeant, Praefecti & Adjuncti sedulo incumbunto.

IV. Mo-

- IV. Modulantes in plateis canunto, non boanto, non vociferantor.*
- V. Indecore se non gerunto, non cursitanto; ad aliam domum ante plenè finitam cantilenam ne properanto.*
- VI. Exercitia Musica & Praefecti & reliqui quàm diligentissimè frequentanto.*
- VII. Liberalitate & beneficentia largientium pecuniam ne abutuntor; & quicquid nummorum erogatur a munificis civibus, rebus nihili non impendunto: non comessionibus, non luxu, non belluatione, multò minus vestitu sumtuoso & indecente absumunto, sed in res ad victum & cultum moderatum necessarias & utiles insumunto: nec sibi met ipsis hominum liberalium animum prodigalitate sua abalienanto, aut ad largiendum restrictiorem reddunto.*

CAP. VII.

De debito & obligatione Eorum, qui hospitio & mensà communi fruuntur.

- I. Recipiendi, qui honesto aliquo testimonio probataq; canendi peritià singuli debent esse instructi, debitam pietatem, obedientiam & observantiam, praepriis verò commorationem ad minimum annuam stipulata manu pollicentor.*
- II. Hora matutina V & vespertina VIII preces privatas pro salute omnigena totius Urbis & Scholae, imprimis verò Dnn, Inspectorum, Praceptorum, aliorumq; Evergetarum,*

B

rum,

- rum, pro felici item successu studiorum suorum cum
 praelectione capituli Biblici, in conspectu Hospitis commu-
 nis habento, initium & finem a cantione aliqua sacra
 facientes.
- III. Mense accubaturi aut inde discessuri precum cantio-
 numq; sacrarum similiter ne obliviscuntor.
- IV. Concordia moribusq; compositis in contubernio & mensali
 & cubiculari nunquam non diligenter studento.
- V. Paternis admonitionibus Rectoris ut & Hospitis commu-
 nis decenter obsequuntor.
- VI. Absq; venia Hospitis communis ne exeunto.
- VII. Tabernis cerevisariis ut & aliis suspectis locis prorsus
 abstineto.
- VIII. Noctu absq; venia Rectoris impetrata ne emaneto, sed
 hora stata & ante portam clausam domum revertun-
 tor.
- IX. Absq; fontica causa & prescitu Rectoris aliorum ne pro-
 ficiscuntor; neq;
- X. Ante tempus constitutum modestamq; venia exorationem
 abitiones non necessarias moliuntor.

CAP. VIII.

De receptione & discessu Disci- pulorum.

- I. Recipiendi in ludum & in coetum scholasticum cooptandi, Re-
 ctori ad examen sese sistunto, & de vita acta aut testi-
 monium adferunto, aut parentem, hospitem, civem, tu-
 torem, amicum testem habento.
- II. Rectori & Praeceptoribus pietatem, obedientiam, reveren-
 tiam, in studiis diligentiam, erga omnes hasce leges ob-
 temperacionem, & erga Ampliss. Senatuum & Reipubl.
 cives pro beneficiis gratitudinem data manu promit-
 tunto.

- III. Ex Schola discessuri a Parentibus & Rectore consensum
& facti sui approbationem petunt.
- IV. Discessuri Rectori & Praeceptoribus reliquis gratias agunt
& publicè valedicunt.
- V. Quicumq; sine consensu parentum & propinqvorum, ac
Praeceptoribus insalutatis aliò se contulerint, eorum
nomina in tabulam ingratorum Discipulorum, ad tur-
pis fame maculam & ignominiam perpetuam refe-
runtur, ac singulis semestribus post finita Examina pu-
blica, presentibus Dnn. Inspectoribus aliisq; viris Lite-
ratis, premissa seria presentium dehortatione, in Schola
publicè recitantur.

CAP. IX.

De officio Decurionum.

- I. Quibus Decurionum munus est commissum, acres, intentè
& diligentes sunt, & suae inspectioni concreditos infe-
riores, tam in templo quàm in ludo observant.
- II. Absentes templo vel schola notant; immodestè se geren-
tes, ac vel in templo vel schola ineptientes aut garru-
entes in schedula consignatos Praeceptoribus exhibent.

CAP. X.

De munere foculos accendentium
in auditoriis.

- I. Quibus negotium datum est, ut auditoriorum foculos ac-
cendant, sedulo, ne incautius ignem tractent, cavent.
- II. Auditoria ludi tam inferiora quàm superiora maturè re-
cludunt.
- III. Maturè & constituto tempore foculos auditoriorum
hieme accendant.
- IV. Choros templorum & auditoria ludi mundè & crebrè
purgant.

216. 594
V. Bacillos & ferulas in promptu & hieme & astate semper habento, in ludum afferunto, ac Praeceptori poscenti exhibento.

VI. A Schola abesse coacti munus suum aliis committunto.

Conclusio.

Hortamur itaq; paternè, & muneris, qvo fungimur, ratione jubemus omnes & singulos, qvi in hac palaestra Musis operam navare volent, ut conditis hisce legibus debitam obedientiam praestent, nec contumacia vel juvenili temeritate, veluti Cacias nubes, ipsi sibi calamitatem aliquam insignem, cujus ipsos aliquando sed nimis serò pœnitere possit, attrahant. Sed speramus unumqvemq; nisi extremè improbus esse velit, facturum officium, si praesertim in primo optimorum, vel saltè secundo mediocrium, quàm tertio apud Hesiodum & extremo futillum hominum ordine esse maluerit. Quod si tamen praeter spem nonnulli monitorum salubrium contemptores ab obligatione obedientiae de facto solvere sese praesumant, ii certò ab obligatione pœnarum sese minimè exemptos tempestivè agnoscunto, ac pro ratione delictorum animadversiones debitas experiuntor,

Quæ erunt

Obiurgatio, Humifessio, Cibi potusq; Substractio, Multatio, Castigatio, Fustigatio, Carceratio, Exclusio.

Thren. 3, v. 27.

Bonum est portare jugum a puero.

F I N I S.

h. 101, 4.

DEO J

LEG
FREIBER
aucta, p

Viris perqu

Dnis Paulo

M. Geor

Wolf

Samu

Sigis

Hein

Joha

Otto

M. Nico

M. Chri

Chri

Chri

Geor

M

16.9

7

QUE

SII
VISÆ

no-

Clarissi

oro.

LIOTHECA
ICKAVIANA

ATS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Yb
594

